



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 161. Qualiter se genere debeat Parochus, dum post denuntiationes apponitur impedimentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

conscijs denunciare tenetur, quia impedire potest sua denunciacione, ne invalidè contrahatur matrimonium. Castrop. p. 13. §. 6. num. 1. Pont. L. 5. c. 34. n. 3.

2. Resp. secundò: Dum occultum est impedimentum, impetratque desuper dispensatio pro foro conscientie, nulla est obligatio denunciandi; Secus si vox est publica de impedimento; quia tunc dispensatio non prodest. Castrop. n. 2. Sauch. L. 3. d. 13. à n. 4. Gutt. c. 59. n. 13.

3. Resp. tertio: Is, cui impedimentum notum est solum ex auditu, nec recordatur, à quo audiverit, non obligatur denunciare; quia nulla utilitas talis denunciacionis. Castrop. loc. cit. Gutt. n. 12. Fatin, de testib. p. 2. q. 69. num. 75. & seq. Potest tamen denunciare, si nullam infamiam irrogat; quia in ea denunciacione nullum est periculum, & fortè veritas manifestabitur. Gutt. Castrop. ll. cit. E contra si recordetur, à quo audiverit, & is sit persona fide digna, tenetur denunciare; quia potest ordinarius eam citare, ejusque testimonium recipere. Sanch. d. 13. nu. 7. Gutt. num. 10. Pont. L. 5. c. 34. num. 1. Castrop. num. 3. Si autem persona, à qua audivit, est suspecta, nulla est obligatio denunciandi, maxime, si impedimentum est diffamatorium. Sanch. Gutt. Castrop. ll. cit. Farinac. n. 83. &c.

4. Resp. quartò: Si quis solus novit impedimentum, obligatus est illud revelare, si præmissa fraterna correctione (dum nimirum speratur ex ea fructus) revelare potest sine suo damno, etsi probare illud nequeat. Sanch. num. 2. Gutt. num. 9. Covarr. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 10. nu. 1. Henriq. L. 11. c. 14. num. 5. Castrop. nu. 5. Gasp. Hurt. de matrim. d. 5. diff. 21. num. 75. contra Pont. L. 5. c. 34. à nu. 6. Sanch. v. matrimonium. num. 23. eò quòd ex una parte dictum seu testimonium unius, etsi insufficientis sit ad contractum dissolvendum, sit tamen sufficiens ad impediendum matrimonium contrahendum juxta c. super eo. de testib. & Gl. ibid. & esto, ad hoc etiam sufficiens non esset dictum unius testis, sufficiens tamen adhuc foret, ut Judex ex officio urgeret contrahentes ad diligentiorè inquisitionem, quà fortè detegeretur impedimentum. Ex altera parte obliget præceptum revelandi. cum commodè revelari potest; tum ne contrahentes peccent, si mala fide procedant; tum ne irreverentia fiat Sacramento, & proles fiat illegitima, vel si bona fide contraxerint, ne materiale peccatum fiat, nève sit Sacramenti fictio, & proles ex se illegitima; & insuper, ut vitetur difficultas, quæ postmodum detecto impedimento, in ratificatione matrimonii intervenire solet. Et hæc omnia sufficienter honestare revelationem impedimenti, tamen si sub secreto acceperis, & juraveris te non revelaturum; asserunt Sanch. Gutt. Castrop. ll. cit. quòd verò nemo obligetur denunciare, quod probare nequit ob periculum incurrendi nomen impostoris & calumniatoris, procedere ait Castrop. num. 7. dum proceditur ad punitionem; non verò, quando ad damna vel peccata avertenda lex fertur & obligatio revelationis imponitur. De cætero in hoc casu revelare quis non tenetur, ubi revelare nequit sine gravi suo incommodo cum leges Ecclesiasticæ, utpote jugum suave, in eo casu non obligent. Pont. num. 2. Sanch. num. 10. Castrop. num. 5. Atque ex his infertur, multò magis ipsos contrahentes, impedimenti conscijs teneri fateri, & à contrahendo

desistere; quia injustè aliàs & iniquè se contractui ingerunt, quem jure celebrare nequeunt. Sanch. L. 3. d. 14. Cöninck. d. 27. du. 7. concl. 2. n. 62. Castrop. n. 6.

Quest. 161. Qualiter se gerere debeat Parochus, dum post denunciaciones opponitur impedimentum.

1. **R**esp. primò: Parochus ab aliquo (sive is sit unus contrahentium, sive alius) informatus de impedimento, debet interdicare celebrationem matrimonii (quæ interdictio non est judicialis, sed extrajudicialis, ut Castrop. §. 7. n. 2.) non potest tamen de eo cognoscere, an revera subsit; quia Parochus judicialem potestatem non habet, quam tamen requirit cognitio impedimenti matrimonialis. Castrop. loc. cit. Sanch. d. 15. num. 2. Gutt. c. 60. num. 2. Pirh. h. t. num. 31.

2. Resp. secundò: Debet proinde Parochus monere secretò conjuges, præsertim si impedimentum ortum habeat ex peccato occulto, ut desistant à matrimonio, & si ii non acquiescant, ordinario, utpote ad quem spectat impedimenti cognitio, illud deferre debet. Sanch. loc. cit. Tann. d. 8. q. 3. du. 6. num. 133. Pirh. loc. cit. Idem est, si Parochus ipse solus novit impedimentum extra Confessionem; si enim juxta dicta *quest. præced.* quilibet alius tenetur impedimentum denunciare, multò magis ad hoc tenetur Parochus, cui ex officio incumbit, salutem & bono subditorum consulere; & licet ex revelatione tali aliqua eis nota proveniat, ipsi sibi debent adscribere, dum non acquiescunt. Castrop. num. 3. Unde etiam si in hoc casu publice petant tales conjugi matrimonio, debet id iis negare Parochus, non obstante, quòd aliàs occulto peccatori indignè petenti publicè Sacramentum illud sit ministrandum. Siquidem id quoque procedit in præsentè casu, dum contrahentes aliud impedimentum non haberent, quàm quòd susceptionem Sacramenti matrimonii indignam redderet, quale est solum peccatum mortale; cederet enim hoc tantum in damnum occultè peccatoris, nempe confusionem; Secus verò, si habeant impedimentum, quod præter indignam etiam invalidam susceptionem, & hinc occasionem plurium damnorum, pluraque deinceps patrandi peccata præstaret; cum id cederet in grave quoque damnum aliorum.

3. Dum verò novit Parochus impedimentum tantum ex Confessione, quamvis plures apud Sanch. cit. d. 15. à nu. 6. censeant posse, imò debere illis negare assistentiam; verius tamen censent Sanch. d. 16. num. 14. Gutt. c. 60. nu. 11. Cöninck. loc. cit. du. 7. num. 70. Castrop. cit. §. 7. num. 5. id eum non posse; cum Confessarius uti nequeat notitia accepta in Confessione ad actus exteriores, ex quibus Confessio penitenti reddi potest odiosa. Debere tamen monere penitentem, petita prius ab eo venia cum monendi de aliquibus auditis in Confessione, dum credit penitentem non ægrè laturum hanc licentiæ petitionem, & monitionem suam profuturam, tenent Cönn. & Castrop. ll. cit. probabile tamen etiam ait Castrop. cum Gutt. c. 60. in fine. non esse obligationem petendi illam veniam, sed se gerere posse, ac si nihil ad ejus notitiam devenisset.

Quest.